



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Disputationes De Deo Homine, Sive De Incarnatione Filii  
Dei**

**Hurtado de Mendoza, Pedro**

**Antverpiae, 1634**

Sectio IX. Christus non caret hac scientia.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82720](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82720)

at illi actus meritorij non sunt in substantia naturalibus; vt aliunde pono: ergo sunt in substantia supernaturalibus: vt ergo actus voluntatis supernaturalis est circa talia obiecta, cur non erit actus intellectus?

§.95. Hinc secundum argumentum formo: Communior & probabilior opinio fert, esse virtutes supernaturales infusas, quæ ament bonitatem naturalem propter ipsam: qualis est religio; quæ vult actiones externas naturales genuflexionis, & alias significantes excellentiam Dei; non solum vt supernaturalis apprehenditur scientia, sed etiam vt naturalis, item eleemosyna, qua amat leuamen inopia naturalis, qualis est fames, sitis, nuditas, & alia: quæ depelluntur actionibus naturalibus, amabilibus honestè propter seipsas; temperantia item amat propter ipsum modum in victu & potu. Neque enim ad eleemosynam & temperantiam exercendas opus est, nos considerare vt cæli conciuces, & socios in gloria, quam speramus; raro enim hæc considerantur in plebe: immisericordia enim & intemperantia non sunt peccatum contra ciuitatem celestem formaliter, aut contra honorem visionis beatæ, & status beatifici: sed immisericordia est contra naturam proximi, quam aliqua inopia aut perire permitimus, aut in grani esse labore: intemperantia verò est contra salutem propriam corpoream, quæ intemperantia contra dictamen rectæ rationis adducitur in discrimen aut labefectatur: ergo temperantia & misericordia, quibus illa vitia opponuntur, non sunt nisi de illis obiectis, quæ vitijs oppositis destruantur. Stet ergo in communiore & probabiliori sententia esse virtutes morales per se infusas circa bonitatem naturalem propter ipsam.

§.96. Ergo sunt etiam possibiles virtutes intellectuales supernaturales circa virtutes naturales propter ipsas, siue immediatè de illis. Probo consequentiam: Primum ab æqualitate rationis: nulla enim difficultas erit contra habitus intellectuales, quæ non sit superanda in virtutibus moralibus. Secundum, quia virtutes illæ morales sunt dirigibiles intellectu sibi accommodata: at maximè accommodata est cognitio immediata de illis obiectis. Video posse virtutem aliquam voluntatis ferri immediatè in obiecta cognita mediatè. Hoc argumento probari etiam potest, esse possibilem scientiam per se infusam independentem à sensibus: quia anima separata, & angelus possunt exercere virtutes morales: ergo & cognoscere ea obiecta immediatè scientia supernaturali. quod indicauit §.68.

§.97. Tandem gratia imitatur naturam: nostra quidem habet duos status, alterum animæ separatae, vbi intelligimus per species similes angelicis: alterum animæ coniunctæ corpori, & cognoscentis cum dependentia à sensibus. Huic status accommodata est scientia infusa, quam disquirimus: fides est accommodata ad cognoscenda obiecta supernaturalia; quæ in via non possunt alia ratione cognosci; ad naturalia verò non egemus reuelatione: quia possunt demonstratione cognosci: egemus autem cognitione supernaturali, vt circa ea exercantur virtutes morales infusæ: quarum obiecta sepius amamus absque actuali memoria reuelationis Dei, ducti cognitione euidenti de illorum bonitate: hæc autem cognitio est supernaturalis.

§.98. Dices: Ergo in homine infideli sunt hæc virtutes. Nego consequentiam: quia cum fides perit, perit omnis habitus per se infusus, neque manet aliquid supernaturale præter characterem. Iam ostendi vol. 2. exerceri à nobis aliquos actus supernaturales intellectus & voluntatis, antequam exerceamus primum actum fidei: nempe in nobis est apprehensio supernaturalis mysteriorum fidei, iudicium supernaturale prudentiæ, & actus piæ affectionis supernaturalis, à quo immediatè imperatur assensus fidei Catholica. quæ dicitur prima: quia hæc omnia pertinent ad illam moraliter: sunt enim principia necessaria ad credendum. Vtrum autem hæc virtutes maneant in homine fideli & peccatore, pendet ex generali connexionione virtutum cum gratia.

## SECTIO IX.

### *Christus non caret hac scientia.*

§.99. **A**nimam Christi hac scientia minime caruisse in via, neque nunc in patria, probatur argumentis, quæ feci à §.42. quia hæc possibilis est, & accommodata animæ Christi, qui habuit scientiam acquisitam per se circa hæc obiecta: exercuit item virtutes morales infusas circa eadem: ergo habuit etiam eas virtutes. In patria verò corpora sensus exercent, quibus pullatur phantasia. si autem ibi est intellectus agens, non oriatur; si minus illum habemus, tunc producuntur species, quibus intellectus passibilis se exercet accommodatè ad sensus: cur igitur erit neganda eiusmodi scientia? In hoc sensu existimo P. Valquez disp. 55. cap. 2. imitarum Bonauenturam, Scotum, & alios, dixisse hanc scientiam esse naturalem, id est, habuisse modum scientiæ naturalis: hic autem modus est vsus specierum sensibus accommodatus. Quamuis autem simul habuerit scientiam naturalem tempore acquisitam ex hoc auctore, non est cur etiam negetur.

## SECTIO X.

### *Qua ratione Christus hac scientia cognoscat?*

§.100. **H**ic iam non differam de scientia infusa in communi abstracta ab hoc aut illo subiecto, sed de scientia Christi: eum enim scientiam hanc in communi probauerim, eamque asseruerim in Christo, quod de scientia vt in Christo dixerim, dictum accipe de omni eam habente: siquid autem fuerit proprium Christi, id ego indicabo.

§.101. Duo sunt genera rerum, ex quibus potuit Christus abstractiue cognoscere Deum: primum ex communi ratione effectus: secundum ex visione beata, fide, & alijs. De prioribus nunc agendum. Nemini debet esse dubium, quin Christus per hanc scientiam euidenter cognoscat existentiam Dei, quoad an est? quod docuisse videtur S. Thomas art. 1. estque expressa sententia Caietani ibidem, Ferrariensis, & omnium ferè Thomistarum: P. Suarez disp. 27. sect. 5. & omnium recentiorum,